non recipit de radiis lune nisi minus
et est illud quod recipit ipsum debilioris
lune et res lucida sicut candela quanto
plus elongatur est illud quod cadit de
lumine eius super oculum et debilius et minus
Et quanto plus appropinquat est illud quod
cadit de lumine eius super oculum maius
et fortius et propter illud quanto plus
appropinquat videt eam oculus maiorem
et lineas eius et eius impressiones
clarius et manifestius. Et quanto
plus elongatur videt oculus minorem
et lineas eius et ipsius impressiones
occultiores et magis tectas. || Quod
autem videt homo in superficie corporum
quasi fenestras in eis, illud est propter
humiditatem que est in circuitu eius,
infusus et per quam fit infusus et illud
est quoniam homo non potest esse quin sit in me-
dio aspectus scilicet pupille aut in circuitu
eius. Si autem est in medio videt
ille cui accidit illud in eo corpore
fenestram quoniam estimat quod illud quod
non videt ex corpore sit profundum.
Si non est in circuitu medii prohibet
apparere videre totum corpus subito
propter puritatem que accidit lumini
effluenti ab oculo scilicet stricturam
pinealem oculi videlicet piramidem que
est ut pinea pendens ab oculo

De sublimiori quod geome-
tre adinvenerunt et in quo
antiqui sollicitati fuerunt
et in quo bonitas speculationis figurarum
geometricarum apparet et quod ab eis acci-
dit ex rebus naturalibus est fabri-
catio speculorum comburentium per conversionem
radiorum solarium. Concesserunt ergo in inveni-
endo ea modos diversos et illud est
quoniam ipsi invenerunt radios converti ex su-
perficiebus speculorum planorum et
invenerunt ipsum etiam converti ex superficiebus
speculorum concavorum et diversificaverunt
loca ad que convertuntur radii secundum
quantitatem diversitatis quantitatum corporum
unde declaratum est in eis quod radius qui
convertitur ex speculo plano ad punctum unum
non convertitur nisi ex puncto uno tantum. Et
ille qui convertitur ex speculo sperico non
convertitur nisi ex circumferentia unius circulorum
qui cadunt in illa spera et demonstrati-
ones super illud manifeste sunt in libris
eorum. Intentio autem quorundam eorum fuit
ad inveniendum specula plana plura
unum adinvicem adiuncta ex quibus omnibus
convertuntur radii ad punctum unum. Et vi-
derunt quidam ad similitudinem specula spe-
rica concava et ex eis sunt qui assump-
serunt specula plana sperica quorum radii
convertuntur ad unum punctum ut combustio
fortior esset. Et illi qui invenerunt
specula ista formosa sicut Anthimenii
des et Anthimius et alii ab istis duobus
demum accidit eis cogitatio in speculationi-
bus figurarum ex quibus convertuntur radii
apparuit ergo in speculationibus sectionum
piramidum et invenerunt radios qui ca-
dunt super concavam planitiem superficiei
quandam earum multis converti ad punctum
unum eundem. Manifestum est igitur quod com-
bustio que fit ex speculo quod est secundum
hanc figuram fortior est combustione
omnium speculorum que sunt secundum figuram
aliam. Verumtamen ipsi non exposu-
erunt demonstrationem super hanc inven-
tionem nec viam qua invenerunt expo-
suerunt. Sed propter illud quod est in
hoc de commoditatibus magnis et
utilitatibus communibus vidi ut exponerem
illud et explanarem quamvis contineat
scientiam eius cuius utilitas est in cog-
nitione utilitatum et scilicet illud cuius
sollicitudo est in veritatibus rerum
declaravi ergo in hoc tractatu et
abbreviavi demonstrationem super
scientiam eius utilitates et dixi viam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1377/0037

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG